



ANTONII CAESARIS  
M A R I A T H E R E S I A L  
L I B E R P R I M U S.

---

A R G U M E N T U M.

*Post dubiam pugnam vietus prope moenia Pragae est  
Austriades: hostem vicit & inde suum.*



Arce: quid auratam citharam, quid pe<sup>t</sup>en eburnum  
Ostentas? Potiore fides impellere ple<sup>t</sup>ro  
Cogis ab integro, tactos & carmine nervos  
Excipere heroo, & mavortia fulmina cantu,  
O mea mens animi, studio addic<sup>t</sup>issima toto  
Theresiae causae? Satius pro viribus olim  
Concinuit ( quamquam meritis non Illius aequa,  
Franciscus Patruus, nec & omnia saecula sperent.)

A 2

Nonne

MARIA THERESIA

Nonne vides, pietas mei te nulla subibit?  
Genua labant, falluntque pedes, canique capilli  
Vix caput obnubunt, & rugis pellis aratur;  
Post decimum primum lustrum cui ducitur aevi.  
Non ego sum porro talis; quin talis ut essem,  
Suspiciam Augustam, sacro succendar ab oestro, (1)  
Et digitis tantum usa tuis, scribam inclyta facta.  
An genibus, fessis pedibus, niveisque capillis,  
Aut rugis citharae numeros intendere debes?  
An Borussiaci perstringere facta leonis  
Abstineas, pugnasque suas vulgare canendo?  
Tam grave qui bellum multos extraxit in annos  
Solus: & est solus multos obnixus in hostes:  
Et victor, victusve, eadem constantia cordis.  
Victor ut est solers armis victricibus usus;  
Victus ita invexit victricia firmus in arma.  
An demum abstineas totum vulgare per Orbem,  
Qua vena ingenii poteris, quo carmine culto,  
Mater ut Auxilii miro dignata tueri  
Theresiam studio est, hostisque infringere nisus  
Austriacam penitus gentem delere parantis?  
Obsequar, & quamvis nequeam praestare, quod optem;  
Magna quod excelsis titulis Augusta meretur;  
Praestiterim quidquid poterit mea curta supellex.  
Tu vero interea nostri ne despice nisum  
Obsequii, & proni tibi rideat una voluntas;  
Non modo vertentis, seclorum at norma decorque,  
Theresia, omnigenum: veniamque indulge roganti.  
Sit fas: ut referam peccata enormia belli,  
Quae vice plus una nostris admissa fuere.  
Urbibus e cunctis, quotquot Germania jactat,  
Vulgatae sculptaeque typis venere Tabellae:

Jam

Jam Borussiacos coalescere rursus in unum  
Corpus ab hybernis supra centena Virorum  
Millia, in Austriacos festino & tendere gressu.  
Inter id Austriaci, tanquam bellum omne fileret,  
Dispessi in Terris sunt jussi hiemare remotis;  
Graminibus donec tellus vernaret amicta:  
Ut male terdenis possent se jungere castris.  
Id grave peccatum, magna mox clade piandum.  
Ast illud gravius longe, cum pabula nūquām  
Suppeterent hostis multis aequalia turmis,  
Plurima nos contra concessiūs horrea; verum  
Horrea, quae fuerint Borussi obnoxia praedis,  
Ut quibus aut nulla, aut tenuis custodia fixa est.  
Hostis adeſt; fugiunt facilis queis copia; contra  
Qui segnes jacuere, manent hos vincla, gravisque  
Militia: hinc fruges veluti suffecimus hosti,  
Agmina ſic noſtras oppugnatura catervas.  
Inde, Augusta, tuae quidquid ſolertia mentis  
Praefidii ad ſortem belli congeſſit, opisque,  
Corrupit vel scaeva fides, vel inertia noſtrum.  
Quodque magis mirum, multo de milite nulli,  
Qui captus, celeratque fugam, menti incidit illud  
Consilii, Cererem perdendam perdere flammis;  
Idque opera tenui, & vitae diſcrimine nullo;  
Scilicet injeſtis ardenti e ſulphure lychnis.  
Propoſito id factum dicam, ſi dicere fas fit.  
Contra ea Boruſſus, minime contentus adeptis  
Tot frugum cumulis, noſtris ſimul invidet inde;  
Difſitaque incendit venalibus horrea flammis  
A puerum injeſtis dextra, trepidique coloni;  
Dum noſtri indulgent ludo, ſtertuntque ſupini.  
Ergo ubi militibus, ſatiuſque ubi frugibus auſtus

Est

Est Borussiacus, movit, seque agmine recto  
 Invehit, Austriacas certus delere cohortes.  
 Rejiciam pugnas alio, minime ordine rupto:  
 Nunc libet errores nostrae perstringere gentis.  
 Post bellum, bellique vices novus annus inibat,  
 Colleetasque acies hostis revocaverat omnes  
 Omnibus ex oris, omnes viduarat & Urbes  
 Praesidio, totisque infestus viribus ibat.  
 Ibat & ad speciem spatioſi fluminis, amnes  
 Cui tenues, rivique suum vectigal in alveum  
 Infundunt, queruli, perdant quia nomen & undas.  
 Ventum erat ad ripas, qua fese immittit in Albim,  
 Et Moldava parem testatur murmure sortem,  
 Ac spumat, queriturque, fluat quoniam alter ab illo:  
 Cum proprii arbitrii, non mancipe tenderet amne,  
 Hunc supra fluvium latos insternere pontes,  
 Non modo praesentes tolerare tot agmina, verum  
 Plausta tot, & plaustris tormenta curulia vecta  
 Debuerat Borussus; utrasque & jungere ripas  
 Magnae molis erat, conclamatique laboris,  
 Opposita in ripa si millia dena Virorum  
 Obstiterint, aliquot si ducta tonitrua Martis  
 Artifices, pontesque simul stratura, nec usquam  
 Permissura, foret fluvii trajectus ut alveus.  
 Hoc ipsum obtinuit quondam Borussus, ubi Albim  
 Saxonidum pubes voluit transmittere tignis.  
 Nec vero in tenebris, sub aprica at lampade solis  
 Hostis tendebat: Pragae de moenibus idem  
 Visus & adversas transfire per otia ripas.  
 At nostri interea, velut ille exercitus esset  
 Foedere conjunctus, placidae indulgere quieti  
 Distincti, tempusque epulis & fallere ludo.

Jamque

Jamque propinquabat structus miro ordine, jamque  
Non procul a castris Borussi exercitus ibat:  
Nosque cataphractas tunc jussimus ire cohortes  
Quatuor exermes quaesitum pabula longe.  
Pugna sed ecce calet, bolidumque injuria fervet.  
Incidit in dextrum cornu Borussus; eidem est  
Id moris; non totam aciem perrumpere tentat;  
Ast alam, quae rara sibi, vel visa supina:  
Appetit hanc juvenum numero & robore lecto,  
Brandenburgiaco cuncti qui sanguine creti:  
Colluvies inibi peregrino e germine nulla est.  
Invectos Suerinus agit: magno impete ducti  
Incubuere; pedem referunt bis terque repulsi.  
Austriadum insequitur passus ad mille caterva,  
Et ferit, & sternit: dum vero ardentius urget,  
Invehiturque oblita sui, tum latus apertus  
Est sinus: a medio discedit & agmine cornu.  
Hanc simul ac rimam solers Rex vidi, equestrem  
Imperat enixo cursu celerare procellam,  
Quaque sinus reclusus erat, contendere raptim.  
Tunc acie ab media vox infonat impia, dira:  
Abrupti sumus, abrupti; properemus in Urbem.  
Quis vocem evomuit, dubium est: vel proditor illam  
Edidit, aut timidus; certum id: lymphaticus omnes  
Invadit pavor, undantesque obtrudit in urbem.  
Ter Princeps Carolus nequaquam obnittitur, ultro (2)  
Objicit & pectus, gladioque & voce minatur;  
Raptus at est tandem turbae irrumpentis ab unda:  
Sin secus, a nimbo fuerat protritus equestri.  
Haec inibi Austriacae gentis peccata fuere:  
Nec referens peccasse reor: quippe obvia cunctis  
Haec quia libavi, Regina Augusta, roganti

Des

Des facilis, quaeſo, veniam; nec verterit ullus  
 Haec mihi nunc ſceleri, ſuppreſſi nomina quorum.  
 Peccatum non ſponte ſua eſt; ſed culpa peracta;  
 Unius in laudem quoniam reditura, tuique  
 In decus: infestos hostes modo vota, precesque,  
 Et lacrymae vicere tuae, noctuque diuque  
 Poplitibus flexis tibi fuſae ad Virginis aram,  
 Auxilium praefert cuius venerabile nomen.  
 Principio belli fuerant ſi ducta trophaea,  
 Militibus ducibusque tuis adſcripta fuiffent;  
 Non magnae Auxilio Matris, quae prona libensque  
 Prodigiiſ voluit ſubitis, ut conſtet aperte;  
 Quod poſt jacturas, accepta, & plurima damna  
 Spem ſuper, & votum titulo potiore triumphos  
 Annuerit, precibusque tuis lacrymisque ferendos  
 Acceptos, nullisque ducum, nec militis aufis;  
 Id reor: eſt audax, cuius ſententia diſpar.  
 Hoc quando in medio poſitum eſt, res ipſa loquatur  
 Auspiciis veluti ergo tuis felicia bella  
 Acciderunt, Auguſta, ſimul ſperoque precorque,  
 Quod titulis devota tuis mea carmina vultu  
 Accipias placido, voti ſic laeter ut eſſe  
 Compos, & invidiae non dentibus obvius ire.  
 India, quae ſolis nitidos aut respicis ortus,  
 Aut contra occafus, utinam ſubmotior eſſes,  
 Et minime Europae cupidis detecta carinis!  
 Haud mensae illecebras, neglectae invita ſaluti  
 Exitia attuleris, noſtris & inhospita terris  
 Agmina morborum, miſeras paſtura medullas,  
 Ulceraque, & ſaniem laceros ſparsura per artus;  
 Et neque ſeviſſes miſeris tot ſemina bellis:  
 Ut modo, cum Gallos inter liſque orta Britannos

(Ecquae-

(Ecquaenam fuerint illic confinia terrae)  
 Intulit Europae funesti incendia Martis.  
 Ergo ubi Mars illic pariter terraque marique  
 Bella ciet, classesque illidit classibus, inque  
 Infestas turmis turmas impingit: ibidem  
 Duceret & Gallus naves, struetasque cohortes:  
 Et cum non Indis tantum Rex Anglus, at una  
 A Franco propriae sedi, regnoque timeret;  
 Ne foret invectus Princeps a classe Stuardus;  
 Et simul Hannoveras invaderet hostis in oras:  
 Hinc sibi consultum voluit, cautumque putavit,  
 Borusso cum Rege novum si foedus iniret.  
 Obtulit idcirco, magnam vim praeter & auri,  
 Pollicitus, turmas pariter, quas posceret aequas.  
 Hanc ansam arripuit manibus Borussus utrisque:  
 Ex illo siquidem, cum capta Silesia, semper  
 Bella animo coxit, se totum accinxit ad arma.  
 Hinc juvenum quidquid vastas Europa per oras  
 Suspicit admirans, quoniam capita alta, torosque,  
 Brachiaque extollant validis turgentia nervis,  
 Rex Borussiadum pretio collegit & arte.  
 Quin etiam quidquid segetum seu Sarmata, sive  
 Messuit uberibus passim Germanus in agris,  
 Cum gemitu plaustrorum invexit, & horrea rupit  
 Hinc simul in promptu vidiit Borussus adesse  
 Cuncta sibi, multas acies, alimentaque cunctis  
 Suffectura, movet, bellum latus in oras  
 Austriadum, totamque in regna Boemica molem.  
 Carpendum sed prorsus iter per Saxones illuc  
 Cum foret, idcirco misit, qui posceret, ire  
 Innocuo ut liceat, nec quidquam hostile paranti  
 Sauromatum & quoniam Regi, cui subdita cuncta

Saxoniae sunt regna simul, non ulla facultas  
 A terris inhibere suis erat; inde negare  
 Quod nullus poterat, nutu consensit adacto.  
 Ut sibi consulteret porro, natusque duobus,  
 Prorsus inaccessam propere concessit in arcem,  
 Aut potius saxum, Kinigstein nomine dictum.  
 Sic ubi strata via est, poteratque obsistere nullus,  
 Rex Borussus agit plus sexaginta Virorum  
 Millia, ceu Dominus, non terrae Saxonis hospes,  
 Transeat ut tantum, sedem sed figat ibidem.  
 Non etenim Saxo neuter, sibi ductus at hostis,  
 Et tacito Austriacis jampridem foedere junctus.  
 Hinc sibi ne metuat, bellum Rex occupat ultro,  
 Providus & multas equitum peditumque catervas  
 Praemittit, placidasque jubet contendere portas  
 Urbis Lipsiaca versus, strictoque minari  
 Et gladio, & sclopis, introque immittere se se.  
 Implentur mandata statim, non ullus & ausus  
 Aut oblectari telis, aut tendere contra.  
 Ecquis enim poterat nec opinis hostibus ire  
 Obvius, & tantum transire rogantibus illac?  
 Hac ubi praesidium validum consedit in Urbe,  
 Civibus indictum cunctis conferre quot arma  
 Omnibus in tectis essent, Borussica major  
 Qua fuerat statio, & viduos se abdere tectis:  
 Qui renuat, vitae solvet discrimine culpam.  
 Quis porro renuat, quisve obnatur in hostes  
 Innumeros acie gladii flammisque minantes?  
 Hoc ubi transactum est, eadem fors accidit inde  
 Et Dresdae, & reliquis, regio quo Saxonis Urbes  
 Enumerat: Regis iussum mox prodit ab aula:  
 Quae Domino, nunc non Domino collata priori,

Cuncta

Cuncta sibi Domino sint vectigalia danda.  
Id grave; sed fuerat fane tolerabile: magis  
Accessit mox inde malum; quia nomine multae,  
Lipsiaca in primis, reliquis & gentibus una  
Impositum est auri magnam persolvere summam.  
Causa sed adiecta est tali speciosa tributo;  
Quod nempe Austriacum populos tueretur in hostem;  
Cui nunquam inciderit menti sibi quaerere nummum.  
Nec satis hoc illi: quotquot conspexit ubique  
Corporis excelsi juvenes, florentis & aevi,  
Seu nolint, seu sponte velint, dare nomina cogit,  
Et patriam Austriacos contra defendere secum.  
Tum Borussiacos humeris inducit amictus,  
Et Borussiaca bellandi exercet in arte.  
Quin etiam turmis multis stipendia Regis  
Sauromatae meritis jussit concedere terras  
In Pomeranas, quoniam sua signa negarent  
Velle sequi: tacitus ne vero evaderet ullus,  
Brandenburgiaca numerosa est copia gentis  
Addicta, exermes quae tendere cogeret illuc.  
Expediar paucis; compertum quidquid ibidem  
Aeris, & armorum, robustae pubis, equorum,  
Omnigeni & generis frugis corrasit, & una  
Evehit, ut validus Boicos irrumpat in agros.  
Ante sed huc totis properet quam viribus, idem  
Flectit iter, plenoque gradu contendit in arcem,  
Qua Rex obfessus, Regisque exercitus esset.  
Et quoniam his ingens fuerat penuria rerum,  
Compulsi cogente fame se dedere, suntque  
Militiae adscripti, sacramentoque subacti.  
Sed prius extortum est, ut protinus inde faceat, (3)  
Et Rex Sarmaticas propere concedat in oras:

Nullus & in patriis terris det jura, regatque,  
 Quam Borussiacus; iussum est, discedat ut aequa  
 Cum natis Regina suis, sponsumque sequatur.  
 Austria mandatis sed mordicus Heroina  
 Obsttit, & potius multo se milite cingi  
 Maluit, inque suis tectis, ceu carcere, claudi,  
 Quam propriis efferre pedes a sedibus unquam.  
 Omnia cum tandem sensit Fridericus adesse  
 In promptu, arbitrii factos & Saxones omnes  
 Esse sui, nihil & reliqui, post terga pavere  
 Quod posset, late tunc classica cuncta sonare  
 Jussit, & expandi tenues vexilla per auras,  
 Festinoque gradu Boicos contendere contra  
 Ingentes peditum turmas, equitumque cohortes.  
 Has autem partim septo thoracis amictas,  
 Et partim viduas primae rapido impete ductae  
 Hussaridum evadunt turmae, miscentque tumultus  
 Est ubi deventum Boicae telluris in oras;  
 Invaduntque avidi villas, atque oppida quaeque;  
 Ingressique domos, inibi si pulchra supellex  
 Obvia, corripiunt; pretii nullius ubi esset,  
 Corrumput, sparguntque procul, vel deditur igni.  
 Suspiciunt miserae gentes humentibus hirquis  
 Undique per coelum flamas fulgere voraces,  
 Horridaque infesti volitare volumina fumi  
 Fortunas delesse suas testantia cunctas:  
 Hiscere non audent porro, non fundere vocem.  
 Hoc ubi transactum est, juvenes venantur ab austis  
 Sedibus egressos, seseque addicere cogunt  
 Militiae, & scapulis vestes aptare Laconum.  
 Hic postquam expediti se nullo sanguine cunctis  
 Saxoniae a rebus, Boicos devenit in agros

Rex

Rex Borussiacus , secumque exercitus omnis; (4)  
 Sub cuius numero campi latuere patentes,  
 Et juga Calliaco late vestita colore .  
 Non procul Austriacae gentis legatus ab illis  
 Armipotens Braunus metatus castra sedebat,  
 Cui simul haud uno delatum est indice , contra  
 Quod Borussiaci tendant ; tentoria jussit  
 Detendi , turmasque tubae clangore citari ,  
 Confiliique ratus properat contendere , campos  
 Occupet ut princeps , pugnae quos credidit aptos.  
 Huc ubi deventum porro est , exercitus illic  
 Confedit : faciem contra Lobositia pagus  
 Adjacet ; adversum se dextra extendit ad Albim ,  
 Explicat ad pigras sese laeva ala paludes :  
 Apposita his autem Thisovitia villa videtur .  
 Haud procul a castris clementi vertice collis  
 Evehitur , dumis humeros & vepribus idem  
 Obsitus : invadit dorsum cursu alite ducta  
 Turba Croatorum ; fuerunt duo millia supra ;  
 Instructaque sedent inibi , pugnamque morantur .  
 Lacyus hos invictus agit ; quaeque ardua virtus  
 Est animo , erumpitque malis , acuitque cohortes :  
 Fulminis est instar ; fulmen cum nubibus exit ,  
 Induit aethereos diffuso lumine campos :  
 Aspectu sic ille parit , spargitque vigorem .  
 Interea postquam recta ratione paravit  
 Omnia jam Braunus , quae credidit esse ciendam  
 Apposita ad pugnam , Brandenburgosque fugandos ;  
 Nox picea incubuit , terras involvit & umbra :  
 Et licet haec totam fuerit discussa per horam  
 A tormentorum flammis , exinde tenebrae  
 Possedere iterum , postquam siluere tot ignes :

Rursus

Rursus & indultum est suspensae utrinque quieti.  
Mane novo quamvis nebulae caligine campos  
Abdiderint; Phoebusque foret splendore maligno  
Subductus, nebulas tormenta curulia late  
Disjecere, sinus lacerant in frusta redactos,  
Adsciscuntque diem dubiam, lucemque reducunt.  
Horrida lux, lux dira, ipsisque infestior umbris  
Hoc magis, in tenebris nebulae quo fulsit abactis:  
Quas simul ac rutilus tormenti excusserat ignis,  
Densius undantis gliscunt caligine fumi;  
Et feriunt oculos, sensum terroris & augent  
Militibus mortesque ratis, & vulnera ferre.  
Haud secus in tumido deprensus navita ponto,  
Nocte sub obscura spectat, spectare nec optet  
Multa per abscissas decurrere fulmina nubes,  
Et ruere in navem flammis fulgetra trifulcis.  
Denique tam magna est flamarum hinc inde procella,  
Ut sit Vesuvius concurrere visus in Aethnam,  
Ignitasque acies, flagrantiaque agmina fumi  
Volvere; & auditus resonare boatibus aether.  
Stant juga firma tamen, versus nec ab ordine culnum  
Excedunt, & utrinque gradum producere possunt,  
Nec metuant mortis discrimina certa volantis;  
Tartarea de mole licet pila ferrea missa  
Non semel integrum prostraverit impete versum:  
Temporis at puncto disiectum proximus implet;  
Nec pavet, immineat quoniam sibi tale periculum.  
Ne tergum avertant, stat morti occurrere sponte.  
Denique post clades multas, & vulnera plura,  
Eminus inferni quae patravere tot orbes,  
Cominus accedunt acies, sclopite sub iustum  
Deveniunt: centum tum vero armata sagittis

Inge-

Ingeminat Bellona neces, plagasque frequentes,  
 Quas partim ingentes, partim inflixer canales  
 Exigui: siluit talis mox denique pugna:  
 Et ventum ad gladios sclopi sub vertice fixos.  
 Tum furor, & rabies animis erumpit in ora;  
 Inficit & livor vultus, mixtusque rubore est.  
 Haec erat ad pedites, sed pugna aequalis; utriusque  
 Se jactant certare pares, sed vincere nullus.  
 Major at est moles, acies ubi pugnat equestris.  
 Rex Borussiacus siquidem tam sera trophaea  
 Temnit, & his praefert graviora pericla, cupitque  
 Ut cito debellet, vel debelletur; & inde  
 Quot potuit, secum vires deducit equestres,  
 Et dextro incumbit cornu, geminasque cohortes,  
 Quae fuerant inibi, multarum invadit opum vi.  
 His geminis turmis uni dat Cordua nomen,  
 Alteraque Austriaci Josephi insignis honore est.  
 Braunus in hac ala pariter legatus agebat;  
 Qui simul advertit majorem inferre procellam  
 Se Borussiadum; geminas & obire cohortes,  
 Et fronti, & lateri, tergoque instare feroce,  
 Subsidium a laeva jussit festinet eodem. (5)  
 Tres properant turmae: dux Levenstainus & illas  
 Imperio dicit: dux sicut acumine mentis  
 Egregius, belli sic longo exercitus usu;  
 Semper & invictus, functus discrimine semper,  
 Semper & illius frontem conspexit ut hostis,  
 Sic etiam adverso non unquam excedere tergo.  
 Hic simul advenit, diversa a parte cohortes  
 Impetere hostiles, flammisque incessere primum,  
 Stringere mox gladios, gladiisque lacefere caesim  
 Mandat: ad Austriacas donec penetrare facultas  
 Reddita

Reddita sit, fodiunt validis calcaribus omnes  
 Unanimi nisu, atque impingunt impete multo  
 Quadrupedes, tolluntque hilares ad sidera voces  
 Stentoreo de more; quibus timor hostibus, estque  
 Additus Austriacis animus, qui pene labarent,  
 Ut dubii, invadant potius, tueantur an ante  
 Undique se cinctos: sed reddita perculit aures  
 Vox simul, excipitur simili clamore; refectus  
 Jam vigor, haud ullus sese defendere, cunctis  
 Impetus incusso Borussum offendere ferro.  
 Accidit ad votum felicior exitus: hostis  
 Peste interceptus gemina, potiusque petitus  
 A tergo, quam fronte, metum fremit esse regestum  
 In caput ecce suum, clausis qui plurimus ante  
 Austriacis injectus erat: non integer illi  
 Ast animus cecidit, despondeturque trophaeum.  
 Ingruit, assultumque iterat; quam cedere, votum est  
 Ante mori, magis urget ubi praesentia Regis  
 Non procul amoti, nutuque instare jubentis.  
 Omnia sed frustra, siquidem bis terque repulsus  
 Cessat ab assultu, vertit sua terga, minatur  
 Multus; at interea cedit, seseque tuetur:  
 Ac tandem evadunt convertere terga coacti,  
 Et pedites adeunt, peditesque adiisse stupentes  
 Se circumspiciunt, indignanturque videndo  
 Invictos semper, victos nunc esse reversos.  
 Excluditque hic pene pudor contendere rursus  
 Tympana sed vero prohibent, clangorque tubarum,  
 Vox litui & repetita gradus ibi fistere mandat.  
 Ergo manent, nostrique equites fortasse sequuti  
 Acrius institerint: peditum Borussica turma  
 Sed vetat, ignitas numerosae grandinis instar

Effusura pilas, si quisquam acceſſerit illuc.  
Rex vero interea justa succensus ab ira  
Aspiciens pulsos equites rediſſe, quod olim  
Haud unquam indoluit, poenas ut sumere posset,  
Imperat obverti tormenta curulia magnae  
Molis, & ignitos orbes impellere pagum  
Appositum contra, qua multa alimenta laterent.  
Hic ſimul impacta eſt tectis ea peſtis averna,  
Concepere domus ignem, ſegetesque reponſae  
Materia facili flamas pavere voraces.  
Nec ſatis id, ſemetque parum Rex creditit ultum,  
Quas ignominias acies asperſit equeſtris,  
Dum fugit, & peditis post tergum ingloria condit,  
Corruſpitque, prius decoris ſibi quidquid adeptum.  
Tartareas ergo moles direxit in hostes  
Austriacos, ſtatio queis fixa in vertice collis,  
Intorquetque, adigitque procul muralia tela  
Ponderis immensi, mortesque & vulnera gignit.  
Sternit humum ſectis membris, & lumine vitae  
Corporibus functis, qua praeterit igneus orbis.  
Hanc tempeſtatem longo ſunt tempore paſſi  
Austriaci pedites, nulla formidine tacti:  
Intrepidique acies reparant, raraſque frequentant;  
Et tandem excedunt, ubi colle excedere jufsum eſt,  
Atque adeunt vallem, quae flammae obnoxia nulli:  
Et velut immunes, paſſi ſint damna nec ulla,  
Inſtruxere aciem, constant & in ordine densi.  
Rex Boruſſiacus poſtquam nihil amplius uſquam,  
Quod tum tentaret, reliquum ſibi conſpicit eſſe,  
Juſſit, ut abſtineat jam denique miles ab omni  
Offenſa, & fileant infenſi fulmina Martis.  
Haud ſecus ac juſſum eſt, praefat ſua copia, pubes

Praestat & Austriadum: constant sed utrique priori  
 In statione sua, & nemo vestigia movit,  
 Oceani donec se Delius abderet undis,  
 Nox piceo & late terras operiret amictu.  
 Ad litui voces hic sese in castra recepit  
 Quilibet, ut claudat dubio sua lumina somno.  
 Qui potis est, rediit, quia totos integer artus.  
 Non pauci mutili, & trajecti corpora plumbo  
 Nutantes retulere pedes; praefatoque fuere,  
 Et properant validas adhibere Machaones herbas.  
 Ista fuit pugna illa ferox, non tempore parvo  
 Quae tenuit, supra octonas exarsit at horas,  
 Reddidit & semper dubios utrinque triumphos:  
 Ista fuit pugna illa ferox, qua quisque trophyaeum  
 Afferuit sibi, sed varia ratione professum.  
 Austriaci dicunt, quamvis non simplice victos  
 Se vice, nunc minime victos, fusosque fuisse;  
 Instar & esse sibi clari meritique trophyei  
 Victoriae toties longe majoribus auctas  
 Viribus haud tenui damno afflixisse catervas.  
 At Borussiacus passim litusque tubasque  
 Misit, & Austriacos stratos his praedicat illic:  
 Mittere non potuit tamen ulla insignia capta,  
 Non vanas, at enim meritas testantia palmas.  
 Postera cum porro noctis procul expulit umbras  
 Alma dies, iterum radiis vestivit & agros,  
 Austriaci redeunt in pristina castra, manebat  
 Sarcina qua belli; nec tantis pabula turmis  
 Suppeterent alibi, quae flamma absumperat olim:  
**Ac** Borussiaci sedem petiere priorem.  
 Haec demum pugna illa fuit, qua militis ausus,  
 Explevitque Ducis partes Fridericus, in umbra

Ingres.

Ingressus dum noctis iter: fore quippe putavit.  
 Ut subito assultu necopina in bella supinos  
 Occupet Austriacos, & deleat interceptos.  
 Id quoque consuluit recte, quod robore primo  
 Militis, & longe numero majoris in alam  
 Austriadum invexit dextram, qua copia gentis  
 Inferior: propiusque fuit nil denique factum,  
 Quae sibi proposita est, quam palmam ut deinde referret.  
 Id quoque sed quoniam minime successit; equestres  
 Et turmae quoniam fuerunt bis terque repulsae;  
 Ut saltem incussa jaectis formidine flammis  
 Inferretque metum, & misceret ubique tumultus,  
 Propterea innumeros, & magni ponderis orbes  
 Impulit in colles, ubi tutus miles adesset;  
 Sic ratus ordinibus ruptis se vincere posse.  
 At licet apposito curaverit omnia pacto,  
 Omnia sed frustra, nam Matre a Virgine venit  
 Auxilium; illius vafras elusit & artes.  
 Intempestivas nil festinasse per umbras  
 Profuit, Austriacis totas impingere vires:  
 Horreaque ut subitis flammis absumperit, ullus  
 Haud timor injectus, ferventior orta sed ira.  
 Sint Matri illimi laudes, sit gloria, nutu  
 Quae solo ingentes vires discussit, & artes.  
 Consilium haud ullum est, haud ulla potentia contra  
 Virginis auxilium, quae dirigit omnia verbo,  
 Dum Natum exorat, votique it redditia compos.  
 Post pugnam Austriaci, qua pristina castra, Bodinum,  
 Et Borussiaci sedes adiere relicta.  
 Ante sed in pelagus quam tenderet hoedus, & ante  
 Quam Titan breviore via dimensus Olympum  
 Contraheretque diem, & noctis concederet umbris

Aereos campos spatio majore tegendos;  
 Haud Borussiacus parsit decurrere miles,  
 Oppidaque, villasque manu spoliare rapaci,  
 Nec modo fortunas, sed pubem abducere fortem.  
 Haec ubi confines est dissipata fama per oras,  
 Deseruere casas, & in avia, devia nudi  
 Indigenae fugiunt; nulli sua tota supellex  
 Est curae; pecudumque greges, natique relicti:  
 Sospes ab incursu si tantum evaserit unus.  
 Adventum accipitris stridentia sibila paruae  
 Sic ubi significant, sturni se credere pennis,  
 Praecipitare fugam, celeres & abire per auras,  
 Nec comites alio profugi, nec pascua tangunt;  
 Consultumque suae malunt ibi quisque saluti.  
 Acrius appetiit cum brumae at denique frigus:  
 Est nisi cessatum solitis excursibus iri  
 Hussaridum a turmis Boicae telluris in agros.  
 Contra ea qui justus, post belli incommoda, miles  
 Ut reperet vires, hiberna utrinque petivit:  
 Tempore quo, foeda fuerat qui clade peremptus,  
 Et prope deletus ( quod jactavere tabellae  
 Pluribus e praelis ) venit redivivus ab orco,  
 Venit, & aethereas auras exercitus hausit.  
 Pars cuius sedit contra Borussica signa,  
 Et partem ( fuerant ad millia dena virorum )  
 Selegit Braunus, contendit & ire receptum  
 Saxones obsidio, laetosque reducere secum.  
 Ivit, & objecit se millibus ille periclis:  
 Longum iter ingressus, frustra regressus at idem:  
 Saxones objectae tacti formidinis umbra  
 Oranti socios renuunt se jungere Braunus  
 Plausibus excepto comitum, dum castra petivit

Sospes

Sospes ab insidiis, multas quas struxerat hostis.  
Sic etiam Xenophon longis Babylonis ab oris,  
Post varios casus, belli discrimina mille  
Trajiciens fluvios, hostiliaque arma repellens,  
Relliquis tutae gentis deduxit Athenas.  
Id tamen: a Brauno Xenophon distare, putandus,  
Et dici inferior meritis: evaserat iste  
Foemineos segnesque viros; evasit at ille  
Brandenburgiadas, genus intractabile bello:  
Relliquis Xenophon; immuniaque agmina Braunus,  
Et lauri foliis crines redimita trahebat.  
Cui licet adlatrent Cynico de germe multi,  
Theresia at quoniam est augusta voce professa,  
Arrisisse sibi, quidquid patraverat ille,  
Et nato quoniam legio est addicta Parentis;  
Est opus, ut nostrae referat praeconia Musae.  
Jam vero tepidus, jam mitior annus inibat,  
Solverat & late Majus glaciemque nivesque,  
Et croceo viridique solum sternebat amictu:  
Cum Borussiacus duxit, totisque coactis  
Viribus Austriacas acies invadere gestit;  
Gestit, & invasit, veluti libavimus olim.  
Ecquid enim refricare juvet nunc vulnera, quando  
Est opera Dauni non tantum obducta cicatrix,  
Quam fuit, integrior verum pars saucia floret?  
Se Borussiadae jaectent duxisse triumphos,  
Et procul a capta gentem statione fugasse  
Austriacam; nunquam poterunt sed plaudere palmis  
Militis & numero, selecto & robore pactis,  
Aut ferro inflatto, librato aut igne perempti:  
Quas magis egregias Dauni mox messuit ensis:  
Pro quibus Austriadae, potiori & nomine plaudunt.

Post

Post pugnam infastam, Pragam circumdedit hostis  
 Agminibus cunctis, portas obsedit & omnes,  
 Ut nullus prodire queat, nullusque subire.  
 Auxilio hic claro magnae Genitricis at actum,  
 Ut quos errores belli commisimus ipsi,  
 His se se indueret pariter Borussus, & hisce  
 Quin etiam fortasse magis gravioribus. Urbe  
 Non procul a Pragae Daunus consedit, & illic  
 Collegit paucas acies, revocabat & una,  
 Quotquot ab adverso lapsae certamine nuper.  
 Rex Borussiadum si Daunum invadere velox  
 Curasset, bellum fuerat tum forte peractum,  
 Et celer exiguos, timidos delesset & hostes.  
 Pollicitus tamen ille sibi posse urbe potiri  
 Pulvere non multo, nec multo sanguine capta,  
 Et sic enodi crines innectere palma;  
 Obstinate, obfirmatque animos sepire corona,  
 Et late excubiis muros obsidere Pragae.  
 Hanc fumi fucique bifrons quamquam institor ille  
 Jamdudum asseruit Regi, praeloque subactam  
 Multiplici, & sparsam, falsaque intrusit in aures:  
 Post pugnam assultu, superatamque impete primo  
 Traditaque in praedam speciosa palatia turmis,  
 Nec minus egregias aedes, & ditia claustra;  
 Tempore nec longo dandam simul esse Viennam.  
 Haec illo ex adyto foliis mandata sibyllae:  
 Haec folia exiguus discussit at arida ventus.  
 Interea, Dauni cura Borussus abacta, (6)  
 Totus in obsidio est urbis: tormenta tot ergo  
 Quae sua, Saxonici fuerant vel juris, & ipsa  
 Non pauca; his etenim viduaverat omnia tecta;  
 Tot quoque contraxit, Pragamque admovit, ut aedes,  
 Non

Non muros , turrese pilarum everberet i<sup>c</sup>tū :  
Nam ratus est illam subigi formidine posse ,  
Non subito assultu per hiantia moenia facto .  
Nec vero ex animo Regis cura excidit illa  
Vel fossa ingenti munire , vel aggere castra :  
Sive ea , quae longe spectarent agmina Dauni ,  
Non procul a Pragae vel quae regione manerent ,  
Subsidit porro quam fossa voragine lata ,  
Tam simul erigitur late congestus humi mons ,  
Hic multas aperit rimas , quo fulmina ducta  
Martis : at in portas urbis numerosa fuere .  
Excubat has contra miles quoque multus in armis  
Accinctus , prohibetque foras erumpere quemquam ,  
Aut inferre pedem . Demum confectus ubi agger ,  
Et pariter fossae , stygiae tunc undique moles  
Concepere faces , piceique volumina fumi  
Evomuere , tremit tellus , montesque reposti ,  
Et valles reboant ; fumi mox discutit umbras  
Igneā tempestas , qua flammea tela feruntur .  
Haec quoquo inciderint , muros lacerantque , ruuntque .  
Bis denos tenuit soles noctesque procella  
Tartarea , at directa via non semper eadem :  
Sunt porro tormenta , quibus dispellitur orbis  
Igneus haud flexo , recto sed tramite missus :  
Sunt contra , obliquo muralia tela per auras  
Quae jaciunt : rapida illa volant , vis indita donec  
Pulveris inferni cogit ; mox impete multo  
Volvitur , in praeeepsque ruit , stragesque , ruinasque  
Invehit exiliens , & rupta in fragmina reddit  
Obvia quaeque sibi nova dira , & pestis Averni .  
Sunt alia , in longe gravius quae condita damnum :  
Tormenta ignitos orbes haec aere rigentes

Altius ejēctos trepidam jaculantur in urbem.  
 Ignivomus quocumque cadit tum missilis halter,  
 Ardet inextinctus, lateque incendia miscet.  
 Dicere quis minime horrefcat, quis credere possit?  
 Tempore tam parvo Pragae pallentis in aedes  
 Plus quinquaginta septena & millia torsit,  
 Tramite quae recto tendunt, Borussus Onager  
 Telorum, septena viis revoluta reflexis  
 Millia, tartareas sexcenta vomentia flamas.  
 Dum Borussiades autem Pragae impetit urbem  
 Tot modo tormentis, speransque timore subactam  
 Dedere se tandem, portasque aperire jubenti,  
 Ni velit in flammam, & cineris cumulum esse redacta.  
 Interea a laevo Daunus certamine turmas  
 Elapsas, variis ductas cursoribus unum  
 Colligit in corpus; pariterque arcessit eodem  
 Non modicas illinc longa regione remotas,  
 Est quibus injunctum nequicquam hiberna tenere,  
 Dumque alibi exardet bellum, marcere quiete.  
 Et jam non parcus numerus confluxerat, & jam  
 Tot placuere sibi vires; unaque coactis  
 Strenuus emersit justusque exercitus inde,  
 Qui bene directus, solerti instructus & arte,  
 Non modo non ulla fuerit formidine vietus,  
 At Borussiacis incusserit ille regeſtam.  
 Queis ubi suspensas hic nuntius impulit aures,  
 Ecquid in hoc bello latuit, quid fugit eosdem  
 Indicibus multis expicatoribus usos,  
 Non tantum externis, sed & intra castra redemptis?  
 Rara fides, fulgor quin caeci hebetaverit auri;  
 Mox sero at sapient. Ergo Bevernus abire  
 Jussus, ut affideat Dauni tentoria contra.

Exe-

Exequitur Regis nutus celer ille, movetque,  
 Objicit & Dauni castris sua castra, tenetque  
 Se munitis septum, mittitque subinde  
 Hussaricas, turmasque alias; intendit & omnes  
 Sollicitus curas, quasvis inhibere catervas,  
 Copia ne fiat Dauni se jungere turmis.  
 Totus at illius lusit conatus in auras:  
 Nam magis intenso studio Dux Austrius egit,  
 Et sane obtinuit, talis praecisa facultas  
 Ne foret, at penitus sint nulli obnoxia damno  
 Agmina, quae properant ejus succedere castra.  
 At simul ingentes huc convenisse catervas  
 Est Borussiades edocetus ab indice multo,  
 Tum sero indoluit, Pragam formidine nulla  
 Dedere se vitam, Daunique adolescere vires  
 In talem numerum, quo posset rite vereri;  
 Accipiat cladem ne Brandenburgus ab hoste:  
 Consilii hinc certus Rex tali occurrere damno  
 Turmarum parti, quae selectissima visa est,  
 Discessum indicit, seque accingere mandat:  
 (Et propere ut pergant, sit sarcina quaeque relicta)  
 Postera nox tenebris ubi primum involverit auras.  
 Rumor at excessus Caroli ne Principis aures  
 Verberet arrectas; ut quidquid quaelibet hora  
 Afferet, accipiat, nisus praeverat & hostis.  
 Propterea expresse mandat Fridericus, ut ignes  
 Ingerat artificum pugnax solertia, quotquot  
 Est potis, & nunquam cesset, sed copia major  
 Ingruat in Pragam, quando nox plurima terris  
 Incubuit, certusque oculis conspectus ademptus:  
 Tempore quo statuit tacitus Rex fallere, si que  
 Eripere a castris, & clandestinus abire

Austriacos contra, subitaque laceſſere pugna.  
 Non modo quod dictis Regis mandata diſertis  
 Institerint, verum quoniam vis indolis atrox  
 Impulit artifices; tenuis nec ponderis eſſent,  
 Quae diſcessuri Regiſ promiſſa ferebant.  
 Scilicet in praedam quod cedant militis omnes  
 Divitiae Pragae; majorque accederet inde  
 Appendix, quando dabitur populare Viennam.  
 Artificum idcirco rabies, unaque cupidus  
 Tempeſtatem effusam, atram, immanemque, voracemque  
 Injiciunt flamarum, obnubuntque undique Pragam  
 Ignibus, & piceo exorta caligine fumo.  
 Quis fuit indigenum ſenſus, curaeque, timorque,  
 Et lacrymae impensae, & ſublatae ad ſidera voces?  
 Solliciti & cursus illuc, illucque recursus?  
 Credere quis poſſit, raptim quis dicere? quando,  
 Ut caveant, vidiffe volunt, horrentque videndo.  
 Fumus ubique, & ubique faces, & Ditis imago  
 Horrida bacchatur, mortesque intentat ubique.  
 Denique diluvies flamarum talis inundat,  
 Ut prope crediderint populi jam lumine capti,  
 Supremum appetiſſe diem, quando ignis ab alto  
 Aethere praecipiti ruet agmine, prorsus & uret,  
 Totius ingenitas fordes abolebit & orbis  
 Ad vivum, tellusque hyali fulgebit ad instar.  
 Propoſitum tenuit Boruſſus, at alite laeva;  
 Atque erit in votis olim, cupietque, quod ejus  
 Senſerit abſceſſum miles, qui clausus in urbe,  
 Liber & erumpens muris vetuſſet abire:  
 Non intellectus quoniam fuit ergo, recedit,  
 Qua potuit, tacitus noctis protectus ab umbra:  
 Nec tantum ingentes numero ſimul imperat ire,

Sed

Sed quoque pugnaces turmas, functasque periclis,  
 Militiae ut veteres, obfirmatasque perire  
 Trajectas potius telis, quam vertere terga.  
 Milite stipatus tali Rex tendit, & inquit: (7)  
 Adde gradus miles; nunc bello addenda coronis.  
 Viētores toties toties modo vincite viētos.  
 Expediam dein ipse manus ad praemia larga;  
 Vosque manus vestras ad praemia larga legenda.  
 Nec vero obsidium Pragae Regi excidit unquam  
 Ex animo, ast multas acies digessit ibidem,  
 Expertosque duces bellis, hosque aggere teōtos  
 Jussit, ut assideant, nec parcant fundere flamas.  
 Jamque propinquabat castris, Bevernus agebat  
 Qua Princeps; ea laetus init, suaque agmina laetis  
 Agglomerat, pugnaeque modum mox indicat illi,  
 Et ducibus reliquis; plausuque exceptus ovanti  
 Militis, in vulgus pugnae cum diditus ordo.  
 Austriacas sternunt acies jam pectore, jamque  
 Corde vorant Pragam, Reginae & caetera regna  
 Currendo subigunt; tandem sibi jamque videntur  
 Eximias aedes populari & templa Viennae.  
 Orbita fortunae jam sese at volverat, & jam  
 Exuerat canos haec calva e fronte capillos:  
 Et Borussiadae, qui palma innectere crines  
 Crediderant, maesta tantum cinxere cupressu.  
 Anne ea fors tantum magnae mandata fuere  
 Virginis, auxilii pignus praestare volentis  
 Austriacae genti? tenebras offudit & illa  
 In Borussiadum mentem; celeri agmine duēti,  
 Ne maturarent turmas invadere Dauni,  
 Nondum collectas una, numeroque minores,  
 Quasque ideo poterant non multo affligere nisu?

Resque ita transacta est: in Martis dicit arenam  
 Rex Borussiacus pubem, dispescit eandem (8)  
 In senas acies, dextramque impingit in alam.  
 Daunus id advertit, tales non caecus in artes;  
 Sed vigil, & cautus, longeque sagacior hoste,  
 Cum primum aspergit molem omnem incumbere cornu  
 In dextrum, huc validas vires, roburque virorum  
 Colligit electum: postremo ex agmine cuncta  
 Subsidia huc revocat; tormenta curulia plura  
 Huc etiam evolvit, quorum pars tramite tela  
 Ejiciat recto, pars autem obliqua locatur,  
 Quae latus, haud frontem transversi incesseret hostis,  
 Inque alias prima ex acie transmitteret orbes;  
 Ut quo majores turmas offenderit, aequa  
 Exhibeat cladem majorem, & funera densa.  
 Res fluit ex voto: non una, sed agmina plura  
 Cernere erat prostrata solo; complere nec illa  
 Ad latus adstantes versus, submotaque terga  
 Posse, simus quamvis properent sarcire vacantes;  
 Multum interstitii quoniam, tractusque pateret.  
 Rex interceptos astus ibi sensit, & imo  
 Indoluit corde, & voluit secedere pugna;  
 Si tamen integro secedere posset honore.  
 Sed quoniam haud poterat, dubium discrimen obire  
 Maluit, aut vinci, quam culpam incurrire segnis,  
 Atque ignominiam priscis inferre triumphis,  
 Qui nunquam fugit, semperque fugaverat hostes.  
 Ergo ubi fuderunt tormenta ingentia tela,  
 Mox glandes modicas, strages foeda accidit unde,  
 Irruere armatas sclopis, & tendere cursu  
 Perpetuo turmas, mandatque invadere laevam  
 Austriacam. Generosa manus sua jussa facevit,

Strenuaque invehitur, prope centum explodit & i<sup>c</sup>lus  
 Temporis articulo. Venientes Austria pubes  
 Excipit infracta, & bolidum majore procella  
 Impetit invectos, proque i<sup>c</sup>tu simplice binos  
 Reddidit insultans. Spectat Borussa juventus,  
 Et timet, & sensim a prisco fervore remittit,  
 Ac circumspiciens, qua demum evadere possit,  
 Hic diversa sibi revocat vestigia raptim.  
 Haec videt, infrendit, solitae virtutis & igne  
 Rex animam accensus, nullo quae vieta periclo,  
 Semper & eminuit quovis discrimine major,  
 Imperat agminibus graviori incumbere nisi.  
 Id vicibus senis a<sup>c</sup>tum est; conatus at omnis  
 Irritus evasit toties, totiesque repulsus.  
 Circumspetantes, consternataisque cohortes  
 Conspicit Austriacus, seque invehit ordine denso,  
 Impete & assiduo, nec tantum glandibus instat  
 Pulvere conjectis pyrio, sed caedit & enie,  
 Trajicit & cultris sclopi sub culmine fixis.  
 Jamque adeo vincit; porro victoria plena  
 Nondum erat, ut dici posset, Borussus abire  
 Expetit a pugna, tuto sed abire decore;  
 Ne multis quaesitum annis corrumpat in hora.  
 Excedit lentus, nondum fugit; haeret, & urget,  
 Et pugnam ciet, & revocat vestigia tardus.  
 Sed nova succedit pestis; decrevit & illa                      (9)  
 Rem dubiam, & frustra adnixos concedere campo,  
 Suspensoque fugam consciscere cogit apertain.  
 Magnanimus Nadastis agit non agmina tantum  
 Germanorum equitum, queis cura incumbit in hostes  
 Mittere vi magna manualia tela ( granatas  
 Quas vulgo appellant ) sed juxta e gente cohortes  
Illyri-

Illyrica, invictam gentem, cunctisque timendam,  
 Stringere cui ferrum fiat modo copia, vincet,  
 Inter & infestos ignes gladiosque triumphat,  
 Instar & est lusus venient illudere morti.  
 Theresia hanc gentem patriis deduxit ab agris,  
 Instructamque suis armis, saguloque decoram  
 Militiae adscripsit: palmisne adscripsit eandem?  
 Theresia et vivat, quoniam volventibus annis  
 Praesidium Austriacis infraactum adscivit; ut aequa  
 Praesidium praesens in pugna praefstitit ista.  
 Has ubi Nadastis turmas induxit, & hostis  
 In latus impegit, tunc illae incessere primum  
 Glandibus ignitis, curvum mox stringere ferrum,  
 Et caesim magis ac punctum foedam edere cladem.  
 Ipse sed in primis rapida vertigine torquet,  
 Aut adigit gladium; & resona qua voce sequentes,  
 Plus monet exemplo; quaque impete praeterit ille  
 Praecipiti, emergit cumulatae stragis acervos.  
 Jam Borussiades est prisci oblitus honoris,  
 Nec veteres subeunt palmae: modo cura salutis  
 Integra demordet, geminasque evadere pestes  
 Et latus, & frontem simili ratione prementes:  
 Jam fuga sola placet, nec vertere terga recusat  
 Ut solers ramosam, altam cum scindere laurum  
 Agricola intendit, trunco violentior ictus  
 Ingeminat, rimasque aperit; sed mole sua stat  
 Silva, nec impactae cedit robusta securi.  
 Si vero effusis ramis animosior Eurus  
 Incidat, insultetque ferox, & turbine crebro  
 Ingruat incumbens, ramis impulsa caducis  
 In praeceps ibi laurus abit, ventosque malignos  
 Devovet, & ramis pene indignata recellit:

Exitio

Exitio trunci saltum condemnat & omnem,  
Sic ubi Nadaſtis ſeſe prior invehit, atque  
In Boruſſiacum ſtructas denſo ordine turmas  
Impulit, ejecit, vicit, penitusque fugavit.  
Nam parte ex alia Daunus ſimul expulit hostem (10)  
Plus vicibus ſenis, pugnacemque obtudit, illis  
Sperantem in campis optatam educere laurum  
Proceram, ſublimem, altam, capitique coronam  
Nectere vičtricem, bellumque absolvere tandem.  
Confictae iſtius lauri trunko intulit iectus  
Sex Daunus, quoties magna cum ſtrage retuſos  
Brandenburgiadum fregit, rejecit & aufus,  
Et prope labentis ramum lauri abſcidit enfe:  
Quo ſibi compoſuit ſertum, crinesque revinxit.  
Ramus at hic verae lauri diſcrimine quali,  
Sanguine quam multo, quanto fudore redemptus!  
Viribus instruxit quando majoribus alam;  
Et justis tormenta locis muralia fixit,  
Non temere, non ante tubam, ſed tempore recto  
Explodenda, ſimul jam proximus hostis adeffet.  
Praeterea quando volucrum pernicioſ alis  
Per juga, per verſus equitat; ducioris, & aequē  
Militis abſolvit partes; acutque, monetque,  
Et rogaſ, iſpius comites exempla fequantur:  
Saucius & quamvis, nil ſciliſet ille remittit;  
Sed gaudet, quoniam non tantum voce, vel actis,  
At magis irritet conſpecto ſanguine turmas.  
Emeruit fronti quin laurum adnectere Daunus:  
Idem ubi Nadaſtin monuit, jufſitque monendo,  
Ut prompto ingenio, ſtimulo virtutis & uſus  
In latus irrueret, Boruſſicaque agmina ferro,  
Et flammis peteret, deturbaretque repulſa.

Ac magis emeruit tandem, simul omnia miro  
 Consilio instruxit, dictisque instruēta manuque  
 Duxit ad effectum; gladios prior inter & ignes  
 Arduus incurrit: quo se magis obstinat hostis,  
 Atque obliuetatur firmo pede; protinus illuc  
 Advolat, & ducta secum legione repellit.  
 Contra ea, qua socios spectat formidine tactos,  
 Ocyor accurrit, dubios monet, orat, & urget;  
 Deserit inventos, alioque alioque facessit.  
 Non unum, at Daunos centum decurrere miles  
 Credidit, infractos semper, semperque feroci  
 Pectore conspicuos, & majestate verendos.  
 Quin sibi vel visus, duxit vel quisque videre  
 Principio pugnae palmis sua tempora vincitum  
 Tendere, & adstantes palmarum ad ferta citare.  
 Palma sed ut cornu fieret communis utrique,  
 In Borussiacum dextrum jubet ire sinistrum  
 Daunus; & ut quivis miles mandata facessat,  
 Fertur agens, hostesque abigit: quo denique facto,  
 Concidit, & reliquis palma est vulgata catervis:  
 Cessit ut in magnum talis victoria lucrum  
 Austriacae genti; vires mutilavit, & ipsos  
 Brandenburgiacae succidit pene lacertos.  
 E quorum numero septem sunt millia caesa;  
 Sunt capta & totidem; signis abidere relictis  
 Et plures, petiit quorum pars Austria castra,  
 Pars alio dilapsa, fugae spes unde resulfit.  
 Ad sexaginta tormenta ingentia capta,  
 Copiaque armorum, bellique insignia multa:  
 Omnibus & numeris parta est victoria plena  
 Austriadum a turmis, Dauni fausta alite ductis.  
 Hic mihi si liceat magnis committere parva,

Belligerum vellem Tiphy componere Daunum;  
Illius aequoreos fulcat dum regia campos  
Navis, at infestos vesani Aquilonis ab alis;  
Integer arbitrium pelagi qui possidet: unda  
Hinc tumet, & mugit, canaque aspergine nautas  
Obruit, atque impacta redit, rursusque lacepsit  
Fervida, rupta sinus. Sensu formidinis expers  
Affidet ad clavum rector; flectitque, regitque  
Huc illuc, res nata velut, velut exigit usus;  
Obvius & rostro fluctus nunc scindit, & inde  
Devius evitat, laterique expellit adactos.  
Id sed ut obtineat, nautis nunc solvere velâ  
Imperat, haud uno nunc vinclta reducere nodo.  
Aut maris, aut Boreae tandem discriminis functus,  
Mox velis turgentibus occupat ostia portus.  
Sic etiam Daunus mira ratione cohortes  
Cum bene digessit, moles Mavortis & aequa;  
Excipit assultus, repetitosque obtudit hostis.  
Nunc ubi sunt acies rarae pro caede, frequentes  
Subsidiis reddit, nunc coram irritat ad ausum;  
Quos timidos cernit, nunc effert laude feroces:  
Nunc Borussiacus qua densior urget, eodem  
Colligit intactas turmas, obicitque recentes:  
Nec cessat, donec vel longe excesserit hostis,  
Straverit extincto vel corpore Martis arenam:  
Quaque triumphantem victoria plena moratur,  
In portum ingreditur, solvitque ex pectore grates  
Virgineae Matri, qua vindice, & auspice vicit,  
Et cui debetur quaevis victoria semper,  
Seu contra invisos, visos referatur & hostes.

